

sanguinis succedentes admittere, nihilominus, quia « contractus ex conventionem legem accipiunt, » reg. 85. jur. in 6. Et quilibet de re sua pro libitu disponere potest, l. *In re mandata*, c. *Mandati*, concedere etiam quis potest feudum hæreditarium, et concessum merito præsumitur, quando investituræ præfatam inseruit clausulam. Siquidem « verba indicant animum loquentis, » l. *Labeo*. 7. ff. *de Supplect. legata*; nec a propria eorum significatione recedendum, quandiu de contraria non constat voluntate, l. *Non aliter*. 69. ff. *de Legatis*. III.

25. *Non item clausula pro te et hæredibus et quare?* Illud tamen cum Fachin. lib. VII. c. III. Bald. Decio, Pistulo, Gailo. et aliis concedendum videtur, quod quando in investitura sequens adhibetur clausula: « Concedo feudum pro te, et hæredibus tuis, » non censeatur feudum hæreditarium, sed ex pacto et providentia, seu feudum familiæ, ita ut soli agnati masculi jure sanguinis succedant, non item fœminæ; multo minus hæredes extranei. Ratio est, quia licet alias ly hæres universaliter quemvis hæredem significet, arg. prin. Instit. *de hæred. qualit. et different.* prout tit. XVIII. *de Locato et conducto*. § 8. n. 238. jam probavimus de emphyteusi. Aliter tamen discurrendum in materia feudi, utpote, in qua per specialem consuetudinem feudorum per nomen hæredes simpliciter et absolute prolata significantur soli masculi ex legitimo matrimonio a primo acquirente jure sanguinis succedentes, lib. I. *Feud.* tit. VIII. et lib. II. tit. XXIII. et tit. L.

26. *Verba intelligenda sunt secundum subjectam materiam.* — Nec obstat, quod alias ly hæres universaliter quemvis hæredem denotet, cit. prin. Instit. *de hæred. qualit. et different.* Nam contra est, quod verba etsi generaliter prolata intelligi debeant secundum subjectam materiam l. II. § *Prætor*. 2. in *ŷ. Quaticunque*. ff. *Qui satisd. cog. juncta* Glossa ibidem, *ŷ. Facultatem*, et c. l. § *fin. de Jure jur.* in 6. Consequenter quia in materia feudi nomen hæres, solos jure sanguinis succedentes legitimos masculos comprehendit, de illis solis illud nomen intelligere debemus.

27. *Feudum masculinum et fœmineum, quid?* — Septimo dividitur feudum in masculinum et fœmineum. Masculinum est, in quo soli masculi succedere possunt. Fœmineum Germanis *Weiber oder Kunck-Lehen* est, quod primitus collatum est fœminæ, indeque fœ-

minas succedere patitur, lib. II. *Feud.* tit. XXX. et L. Alii volunt etiam illud feudum fœmineum esse, in quo ex speciali pacto et fœminæ succedere possunt, etsi primitus collatum sit masculo. Verum horum opinio non videtur conformis lib. II. *Feud.* tit. L. ubi feudum fœmineum expresse distinctum reperitur a feudo, in quo solum ex speciali pacto fœminæ succedunt: dicitur namque ibidem, quod in feudo non succedat « filia nisi ex pacto, vel nisi sit fœmineum; » uti bene advertunt Rosenthal, in *Synop. Feud.* cap. II. concl. 7; Vultejus, lib. I. *de Feud.* cap. VIII. n. 3. et alii. Ad conciliandos tamen doctores dici potest, feudum, in quo ex speciali pacto etiam fœminæ succedunt, dici posse fœmineum improprie dictum; id quod confirmare videtur praxis, vi cujus universaliter ac sine distinctione vocari audimus feudum fœmineum *ein Weiber oder Kunck-Lehen*, in quo fœminæ succedere possunt, sive ex pacto speciali, sive quia primitus collatum fuerat fœminæ.

28. *Fœmineum est improprie feudum; nec possunt in eo succedere fœminæ, quandiu masculus superstes est.* — Utrumque tamen hoc feudum fœmineum, improprie feudum est; quod soli masculi succedant, arg. lib. I. *Feud.* tit. § *Filia*: ibi: « Filia non succedit in feudo, nisi investitura fuerit, ut et filia succedant, vel nisi investituræ fuerint. » De utroque insuper notandum est, quod non nisi masculis deficientibus in Feudo succedere valeant fœminæ, ita ut quandiu masculus aliquis succedere potens superstes est, nulla fœmina, esti propinquior ad successionem admittatur; textus expressus habetur in cit. lib. I, tit. VIII. ibi: Tunc enim succedit filia, filiis non extantibus, » et lib. II. tit. XXX. « Fœmineum feudum deficientibus masculis ad filias pertinebit. »

29. *Feudum francum, et non francum quid?* — Octavo dividitur in feudum francum, id est liberum *ein Freylehen*, et non francum. Francum est, vi cujus ad nulla servitia præstanta obligatur vasallus. Non francum est, vi cujus ad certum servitii genus, prout nempe in investitura determinatur, tenetur vasallus. Et quia de natura feudi est obligare vasallum ad aliquod saltem servitium, l. II. tit. XXIII. *Feud.* ideo feudum francum a doctoribus communiter feudum improprium salutatur.

30. *Feudum reale et personale. Personale aliud est de camera, aliud de cavena.* — Nono

dividitur in reale et personale. Reale est, quod cum primo acquirente non extinguitur sed etiam ad hæredes transit. Azorius, lib. X. *de Feudis*, cap. II. q. 5, cum communi aliorum, arg. lib. I. tit. I. *Feud.* personale est; in quo nullus hæres succedit, seu quod cum primo acquirente extinguitur. Personale varie subdividitur. Aliud enim feudum personale dicitur *de camera, ein Cammer-Lehen*, in hoc consistens, quod alicui ex ærario seu fisco domini directi aliquid pro sustentatione quandiu vivit, præbeatur. Aliud dicitur *de cavena*, vi cujus nempe vasallo ad dies vitæ aliquid datur e cella, horreo, vel penuario domini, Rosenthal, cap. II. concl. 30. De utroque hoc feudo personali, *de Camera* nempe, et *de Cavena* fit mentio lib. II. *Feud.* tit. I. § *Sciendum*.

31. *Aliud guardiæ, aliud gastaldiæ.* — Rursus Feudum personale aliud est guardiæ, aliud gastaldiæ. Feudum guardiæ est, quod datur alicui ad dies vitæ, vel certum tempus sub hoc onere, ut vasallus castrum, domum, territorium, etc. custodiat, aut custodire, ac tueri juvet. Feudum gastaldiæ est, quod alicui eo fine datur, ut domum aut aliam rem domini gubernet, administret aut procuret. De utroque hoc feudo agitur in lib. I. *Feud.* tit. II.

32. *Aliud soldatæ.* — Adhuc aliud feudum personale est soldatæ, in hoc consistens, quod alicui non quidem ex certa cavena, sed simpliciter annua quantitas pecuniæ, vini, vel frumenti sub obligatione fidelitatis, et servitiorum præstetur, ita tamen, ut non tantum per mortem ipsius vasalli, sed etiam per mortem dantis expiret; quapropter et personalissimum dicitur, Azorius, loc. cit. Et de hoc feudo soldatæ ita habetur lib. II. *Feud.* tit. X. « Soldata est præstatio quædam annua gratuita, quæ a neutra parte transit in hæredem: morte enim dantis vel accipientis interveniente finitur. Soldata vero dicitur, quia plerumque in solidorum donatione consistit: quandoque autem in vino et anno consistit. »

33. *Feuda personalia sunt feuda impropria.* — Cæterum cuncta hactenus recensita feuda personalia, tantum improprie Feuda sunt, tum quia non durant perpetuo: tum quia non necessario super immobilibus constituuntur; quod utrumque tamen feudum proprie dictum requiritur, textu clarò, lib. II. tit. XXIII. *Feud.* et diximus supra n. 7. et 8. explicando definitionem feudi.

34. *Feudum emptitium et gratuitum. An in emptitio succedant fœminæ?* — Decimo dividitur in feudum emptitium, et gratuitum. Emptitium est, quod pretio emitur, de quo habetur lib. I. *Feud.* tit. XX. Gratuitum vero, quod gratis conceditur. Et quia de natura feudi proprii est, ut liberaliter concedatur, hinc etiam feudum emptitium feudis impropriis annumeratur. Controvertunt autem plurimum doctores, num in feudo emptitio succedant etiam fœminæ, casu quo de eis in investitura nulla habeatur mentio. Affirmativam tenent Cailus, Mynsinger, Hartman, et alii, quos citat et sequitur illustrissimus dominus Schmidt, ad tit. XII. a. n. statut. Bavar. Id ipsum expresse constitutum habetur in statutis Bavaricis, loc. cit. Negativam tunc tenet Rosenthal, in *Synopsi Feud.* cap. VII. concl. 34. Verum quia nec negativa ex libris feudorum clare deduci potest, ad locorum consuetudines, et particularia statuta attendendum erit præsertim; quia totum jus feudale potissimum ex usu et moribus compilatum est, ac propterea jus consuetudinarium vocatur, ipsique feudorum libri usus, seu consuetudines feudorum inscribuntur.

35. *Feudum bursaticum Bavaris speciale, quid?* — Præter feuda huc usque enumerata dantur aliqua Bavaris specialia, inter quæ sunt feuda bursatica, *Bentel-oder Sackel-Lehen*, quorum natura in hoc consistit, quod vasallum ad nulla servitia personalia, sed tantum ad solvendum relevium *den Lehen-raich* obligent toties, quoties sive ex parte domini, sive ex parte vasalli contingit mutatio. Est autem relevium vigesima pars pretii, quo æstimatur bonum feudale, sicut supra diximus de laudemio, a quo tamen relevium in hoc differt, quod laudemium de bono emphyteutico tantum solvatur contingente mutatione ex parte emphyteutæ. Relevium vero præstatur, sive ex parte domini, sive vasalli fiat mutatio, vi statutorum Bavaricæ, tit. XI. a. 4. et ibi Schmidt, quo tamen non obstante pinguius reputatur in Bavaria feudum bursaticum, quam emphyteusis; quia in hac præter laudemium suo tempore dandum, siugulis annis præberi debet annus canon, et quidem hodierna consuetudine sat magnus. In feudo autem præter relevium ad nihil obligetur vasallus.

36. *Enarrantur ejus conditiones.* — Inter alias qualitates feudi bursatici, etiam sequentes sunt. I. Quod transeat ad quosvis hæredes etiam extraneos, et fœminas, si masculi de-

ficiant. II. Quod hæres legitimo tempore, id est, intra annum et diem a domino feudum requirat, eum agnoscat, eique relevium solvat. III. Quod si feudum inter vivos alienare velit, consensum domini requireret debeat; quem etiam dominus dare tenetur, nisi justam recusandi causam habeat. IV. Quod si quis vasallus hæredes ab intestato successuros habeat, non possit in extraneum, nec per ultimam voluntatem, nec per alienationem inter vivos transferre, nisi requirat, simulque habeat domini consensum; sine quo si transferre nititur, dispositio nulla est et feudum ad hæredes ab intestato succedentes transit.

37. *Feuda bursatica in Bavaria sunt frequentia.* — Hujusmodi feuda bursatica sunt ferme omnia feuda rustica et pæbeia in Bavaria, utpote vi quorum nulla servitia personalia, sed tantum relevia præstantur, et vel hoc ipso, sicut etiam ex aliis capitibus, feuda impropria reputantur, sunt insuper plerumque emptitia: vide de hoc feudo, tit. XI. a. 4. *Statut. Bavar.* et ibi illustrissimum interpretem dominum Schmidt.

38. *Feuda equestria, quæ?* — Aliud feudum in Bavaria frequens est feudum equestre *Ritter-Lehen*, vi cuius tenetur vasallus domino præstare servitia equestria, et contingente mutatione in recognitionem pro relevio præbere *elnen Schiesszeug*, antiquitus consistebat hoc relevium in bombardâ et gladio; cuius loco hodie successit pensio aliqua pecuniaria consistens in septem florenis, et quatuordecim crucigeris, prout videre est in *Statutis Bavar.* tit. XXII. a. 8. et apud illustrissimum dominum Schmidt ad processum summarium, tit. XI. a. 4, ubi etiam docet, quod hæc feuda equestria quoque dividantur in masculina et feminea, nova et antiqua, quæ membra faciliter cognoscuntur ex dictis supra numer. 11. et seqq. Cæterum quia feuda bursatica et equestria non sunt de communibus feudorum consuetudinibus, sed particularibus Bavariæ dispositionibus, plura de iis non agimus; sed ulterius, quæ sunt juris communis tractando.

39. *Libri feudorum an sint authentici? quæritur.* — Quæritur IV. An libri feudorum seu scriptæ, corporique juris insertæ feudorum consuetudines sint authentici, habeantque vim legis? Ratio dubitandi est; tum quod illæ consuetudines videantur particulares Italarum, maxime Mediolanensium, consequenter pro lege universali in foro imperi

Romani minime habendæ; tum quia majori ex parte consistunt ex responsis, seu decisionibus privatorum doctorum Gerhardi Nigri, Oberti de Orto, qui potestate legislativa caruere. Et ob has rationes Hostiensis in *Summa de Immunitate eccles.* § *In quantum.* et alii a Fachin., lib. VII. cap. II. citati, negativam sententiam tenuerunt. Nihilominus,

40. *Respondetur affirmative.* — Resp. Libri feudales, seu feudorum consuetudines sunt vere authentici, ita ut eadem, qua reliquæ leges scriptæ auctoritate polleant, ac vim obligandi habeant. Ita Fachin., loc. cit.; Jul. Clarus, § *Feudum.* q. 3; Zasius, in *Epitome de Feudis*, in prin.; Engel, h. t. n. 1. et communissima aliorum. Ratio est: quia imperatores, quorum est leges condere, consuetudines feudales variis in locis confirmarunt, illis partim addendo, partim detrahendo, partim ratificando, uti colligitur ex I. I. *Feud.* tit. XIII. et lib. II. *Feud.* tit. XLIV. et LIII. Eisdem libros, ac consuetudines feudales in eis contentas approbarunt etiam summi Pontifices. arg. c. *Cæterum.* 5. de *Judiciis*, et c. *Ex transmissa.* 6. de *Foro competent.*

41. *Probatur immemoriali consuetudine. Consuetudo habet vim legis.* — Accedit, quod longissimo ac immemoriali orbis christiani consuetudine recepti, et practicati sint, idque et extra iudicium allegentur; quod autem iudicium populi receptum, et frequenter in eodem controversiarum genere servatum est, pro lege habetur: « Nam cum ipsæ Leges (ait Julianus I. *De quibus* 32. ff. *de Legibus*) nulla alia ex causa nos teneant, quam quod iudicio populi receptæ sint: merito et ea, quæ sine ullo scripto populus probavit, tenebunt omnes. Nam quid interest, suffragio populus voluntatem suam declaret, an rebus ipsis et factis? » Unde ibidem dicitur: « Inveterata consuetudo pro lege non immerito custoditur. » Item: « De quibus causis, scriptis legibus non utimur, id custodiri oportet, quod moribus, et consuetudine introductum est. »

42. *Quenam capitula non sint authentica in libris feudorum: et quæ illa?* — Notat tamen clarissimus dominus Gletle, id, quod modo de auctoritate et valore librorum feudalium diximus, intelligendum esse de capitulis ordinariis, quæ in libro primo et secundo feudorum usque ad capitulum LVIII. inclusive continentur; reliqua enim in secundo libro capitula extraordinaria, utpote non publica

auctoritate, sed opera Cujacii, et aliorum adjuncta dubiæ auctoritatis, nec usu ita recepta sunt, uti priora. Quæ proin tunc tantum valent, et allegari possunt, quando cum capitulis ordinariis prioribus conveniunt, vel eorum explicationem faciunt, vel denique quando casum in ordinariis non decisum continent; minime vero, quando ordinariis contraria existunt. Stryk, in *Exam. jur. Feud.* cap. I. q. 22. et alii.

§ II.

QUINAM, QUID, ET QUOMODO IN FEUDUM DARE, ET ACCIPERE POSSINT?

43. *In feudum dare possunt omnes et soli rerum suarum administrationem habentes.* — Quæritur I. Quinam dare possint feuda? Resp. I. Universaliter omnes et soli, qui liberam rerum suarum administrationem habent. Communis. Textus habetur in lib. II. *Feud.* tit. III. ibi: « Investitura feudi non ab alio recte fit, nisi ab eo, qui legitime honorum suorum administrationem habet. » Et quidem feuda sæcularia dare imprimis potest Romanorum imperator, non tantum de bonis propriis, seu patrimonialibus, sed etiam de bonis imperii; hæc tamen cum limitatione, ut hodie regalia, et majoris momenti bona, « so et Was merkliches eintragen, als Fürstenthumb, Graffschafften, Stadt, und dergleichen, » sine præcitu et consensu electorum in Feudum concedere, aut de eis expectantias, ut vocant, dare nequeat, sed illorum redditus, si quando vacent, ad Imperii usus servare debeat; uti videre est in capitulationi Caroli V. art. 24. Ferdinandi II. art. 28. Ferdinandi III. art. 23. Ferdinandi IV. art. 30. Leopoldi I. art. 30. et Josephi Romanorum regis. art. 29.

44. *Etiam plebi et feminae.* — Deinde etiam electores imperii, principes, duces, marchiones, comites, barones, et alii nobiles bona sua in feudum dare possunt, per textum in lib. I. *Feud.* tit. I. in princ. De plebis quidem aliquantulum controversum est, sed communior et juri conformior tenet, etiam illos bona sua allodialia, quorum liberam administrationem habent, in feudum dare posse. Ratio est, quia ubi juris dispositio non obstat, « quilibet rei suæ moderator atque arbiter existit. » L. *In re mandata.* c. *Mandati*; nullibi autem in jure reperitur dispositio juris plebeis in hoc contraria: imo ipsi libri

feudales, eis positive etiam assistunt, dum universaliter absque ulla limitatione concedunt, quod quilibet bona sua, quorum legitimam administrationem habet, in feudum dare queat. cit. lib. II. *Feud.* tit. III. Nec refert mas sit femina; dummodo rei, quam in feudum dare vult administrationem habeat: nam ut ibidem dicitur, « Femina quoque etiam novi feudi investituram facere posse plerique consentiunt. »

45. *Episcopi quoque et Ecclesiarum prælati adhibitis juris solemnitatibus.* — Resp. II. Episcopi, abbates, ac cæteri prælati et superiores ecclesiastici possunt quidem bona Ecclesiæ in novum feudum concedere, sed non nisi cum requisitis juris solemnitatibus. Jul. Clarus, § *Feudum*, et hodie communis, ac certa ob claram juris dispositionem *Extravag. Ambrosiæ.* « de Rebus eccles. non alienand. » ubi inter alia nova Infeudatio de bonis Ecclesiæ expresse prohibetur, nisi fiat cum debita juris solemnitate. Concordat textus in lib. I. *Feud.* tit. VI. ibi: « Si episcopus, vel abbas vel abbatissa feudum ecclesiarum, quæ eis subjectæ sunt, etc. nullum habet vigorem. » Quenam autem juris solemnitas requiratur ad concedendum novum feudum ecclesiasticum, vide supra tit. XIII. *de Rebus Ecclesiæ alienandis*, § 2. eadem enim, quæ ad alienationem rerum ecclesiasticarum requiritur juris solemnitas, etiam ad constituendum novum feudum ecclesiasticum exigitur, eo quod et feudum aliquam alienationis speciem habeat, eique annumeretur, cit. *Extravag. Ambrosiæ.* « de Rebus Ecclesiæ non alienand. » et amplius Pirhing, h. t. n. 4.

46. *Imo sine juris solemnitatibus feuda antiqua.* — Dicitur autem notanter « Feudum novum; » quia, quod res ab antiquo in feudum dari solita, seu antiqua feuda, quando redeunt ad Ecclesiam, denuo etiam absque juris solemnitate in feudum concedere valeant ecclesiarum prælati, communiter tenent doctores, signanter Jul. Clarus, cit. q. 13. n. 1; Abbas, in c. *Ut super de Rebus eccles. alienand.* n. 11; Pirhing, h. t. n. 6. et alii. Patetque tam ex libris feudorum, quam sacris Canonibus. Et quidem I. I. *Feud.* tit. I. sic habetur: « Feudum autem dare possunt, archiepiscopus, abbas, abbatissa, præpositus, si antiquitus consuetudo eorum fuerit, feudum dare. » Ex sacris canonibus vero c. fin. h. t. expresse statuit pontifex, quod feudum ad Ecclesiam reversum, libere de nove